



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XXVI. An sibi convenient duo nostri Authoris dicta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPUT XXVI.

An sibi convenient duo nostri Authoris dicta.

1. Sibi pugnantiā docuisse Authorem nostrum, frustra dixisse Baronium, videmus sup. c. 23. à meo n. 36. Simile quid in praesentia cavillatur, l. c. §. 2. fol. 79.

BARON. Sibi ipsi (Tamburinus) repugnat, &c. Audisti, ad securitatem conscientiae ipsum requirere probabilitatem opinionis ab extrinseco tantum, & ab Authore, vel ab intrinseco, & argumentis. Sed quasi hujus doctrina ipsum penitet, utraque permiscet probabilitatem, & cum respondet lib. 1. in Dec. c. 3. §. 3. ad illud quæsitum. An Authores unus Doctoris sufficiat ad probabilitatem tutam. Respondet, inquam, unum sufficere contra innumeros, si doctus sit, rem ex professo tractet, firmam rationem pro se habeat, nec appareat contra ipsum aliquid convincens. Atqui hæc omnia ad probabilitatem intrinsecam pertinent.

2. Dicis ego Tamburini repugnantiam in ea consistere, quod in priore loco requirit ad securitatem conscientiae probabilitatem, vel extrinsecam, vel intrinsecam, at in posteriore miscet probabilitates, & requirit ad dictam securitatem utramque, hoc est probabilitatem tum extrinsecam, tum intrinsecam.

Verè usurpabo de te puerile illud, & tritum, *legere, & non intelligere, est negligere*; intellexistine doctrinam Tamburini, unde colligas in posteriore loco ipsum requirere ad securitatem conscientiae utramque probabilitatem? Imò ipse in hoc posteriore loco figurate dicit, satis esse extrinsecam, exscribamus hic text. Tamb. l. 1. in Dec. c. 3. §. 3. n. 5.

3. TAMB. Tunc solum puto, sufficere unum, tamen si contra innumeros DD. is debeat, quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque pro se rationem habeat: nec appareat contra ipsum aliquid convincens. Ita Azor. Vsq. Ratio est, quia ex tali Authore sic vallato nascitur merito prudens iudicium. Quod si ejusmodi Doctor ratione alicujus momenti non fulciatur, idque in Doctus animadvertas, non vales illius sententiam regulariter excipere, nec illam aliis amplectendam proponere: cum tamen possit indoctus. Ratio est, quia tibi non potest tunc innasci iudicium prudens: Indocto potest; vel certe illum (Authorem) sequi eidem indocto, qui sine culpa ei Doctori fidem habet, culpa non datur.

4. Dico (regulariter) nam potest contingere, ut ille sit adeo doctus, ut tibi liceat prudenter judicare, rationem illius firmam esse, sed minus a te penetratam, vel notam; & item judicare, ipsum, rationem in contrarium tibi probatissimam, facile posse diluere; in hoc enim eventu ejus opinionem, utpote EXTRINSECE probabilem, si amplectaris, prudenter ages. Hactenus Tamb.

5. Equidem lego hic, posse indoctum, qui non novit rationem, qua fulcitur ille Doctor, hujus sententiam sequi. Id quod quidam est, nisi mera, puraque probabilitas extrinseca? Et clarius lego in postremis productis lineis (utpote EXTRINSECE probabilem) ergo quibus tu perspicillius adiutus legisti tantum (ut ait) INTRINSECE? Verum id factum est, ut noveris, amice Baroni, in quos errores te abripuerit maledicendi Oresis.

6. Sed vela contrahamus; atque arma defensiva pro veritate hactenus, quasi paraspiscentra, Galilei sit satis; arma enim offensiva ab aliis impugnator expectet. Meum interim præceptorem iis verbis solabor, quæ S. Hieron. usurpavit in Epistola ad Furiam de viduitate servanda.

S. Hieron. Fieri non potest, ut absque morsu hominum vita hujus curricula quis transeat.

FINIS.

Laus Dno, Beatissime Virgini, ac Sancto Michaeli mee Civitatis Caltanissettensis Patrono.

Pars III.

XX 3 INDEX